FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS...

Franz Ernst Bruckmann

Digitized by Google

78

FRANCISCI ERNESTI BRUCKMANNI,
PHIL. ET MED. DOCT.

EPISTOLA ITINERARIA LXXVIII.

DE

CERVO VOLANTE
ET
EJUS HYBERNACULO.

AD

EXCELLENTISSIMUM ATQUE DOCTISSIMUM

DOMINUM,

DOMINUM

IOH. CHRISTOPH. LISCHWIZ,

MED. DOCT.

REGIÆ CELSITUDINI A CONSILIIS CANCELLARIÆ, ARCHIATRUM, ADSESSOR. SEN. COLLEGII MEDICI DUCALIS, INSTITUTIONUM MEDIC. ANATOM. ET BOTANICES PROF. PUBLIC. ORDINAR. KILONIENS. FACULTATIS MEDICÆ PRO-RECTOREM MAGNIFIC. SPECTATISSIMUM, COLLEGII CHIRURGORUM PRÆSIDEM DIGNISSIMUM, CONSULTISSIMUM.

CUM FIGUR. ÆNEIS.

WOLFFENBUTTELÆ, MDCCXXXIX.

Digitized by Google

VIR EXCELLENTISSIME, CONSULTISSIME ATQVE DOCTISSIME, FAVTOR PLVRIMVM COLENDE!

Cum ſuperiori anno, circa menſis Junii finem, iter per ſylvam Hercynicam, recreationis ergo, fecerim, inter alia curioſa a Dom. Linde, Scholæ Blanckenburgenſis clariſſimo Sub-Con-Rect. amico ſuaviſſimo, & duo ſcarabæorum cornutorum hybernacula dono accepi. Horum hybernaculorum, quantum apud me conſtat nemo hactenus in ſcriptis, quorum pluraquam centum, quæ horum inſectorum mentionem fecerant, hiſtoriamque naturalem compilaverant, evolvi, memoriam vel titulo adhibuit, nec ego ipſe unquam aliquid de dictis inaudiveram; quare non ingratum *Tibi*, *Vir celeber*, fore credidi, ſi quædam, licet manca, de his beſtiolis bicornibus, harumque domiciliis hybernis ad *Te* tranſcribam.

Taurus Lucanus volans, a patria Lucania ſeu Baſilcata, provincia quadam Neapolitana, quæ hoc inſecto abun-

abundat, dictus; taurus autem dubio procul ob ſuſurrum, boatum imitans, quem in aëre circumvagus edit; *Scarabæus Lucanicus ſeu bicornis, ſeu cervinus, ſcarabæus cervus ſeu cornutus, Cantharus cornutus;* κάνθαρος, vox Græca, ſcarabæum notat; *Cervus volans*, quem Cardanus *Scarabelaphum* nominavit; Gallis audit *Cerf-volant* & Germanis ein Schröter, Baum-Schröter, Horn-Schröter, Kneip-Wurm, quia cornibus valide ſatis apprehenſa vellicare poteſt, fliegender Hirſch, Hirſch-Käfer, ſcarabæus enim hic, quod ad cornua ramoſa, ad cervum accedit; cornua, inſtar cervi cornuum quadrupedis cum multis ramis a venatoribus Enden vocatis, habet; gehörneter Käfer, gehörneter Roß-Käfer; vulgus in terris Brunſuicenſibus hoc inſectum Feuer-Wurm, Füer-Worm appellat, & credit, iſtud ignem & carbones ardentes in cornibus de loco in locum portare poſſe, de qua vero translatione nullibi exemplum proſtat. Græcis ἀκάνθαρος, ἱπποκάνθαρος, κάραβος, κεκάμβυκος, πλατόκερος, σκαραβέλαφος-ξυς. Omnes has denominationes ac epitheta adjecta hæc beſtiola a cornibus cervinis nec non volatu iu aëre habet,

Cervus volans eſt inſectum ſcarabæiforme (minime muſcarum magnarum ſpecies, ad quas a quibusdam inique refertur, nam eſt ex ſcarabæorum familia) tam forte & magnum, ac cicada, imo hac majus, mole & magnitudine tres, quatuorve vulgares ſuperans ſcarabæos, ſplendide rubicundum, brunnum, purpureum, non raro ad nigrum vergens colorem; in ſyncipite duo habens cornua mobilia, atque invicem concurrentia, ramoſa, ramis tribus utplurimum ſeu dentibus acutis, in nullo non cornu inſtructa, cervorum quadrupedum cornibus ferme ſimilia, hinc inſectum, ut ſupra innui, & cervus volans

 dictum,

dictum, nitentia, lævia ac polita, dura, quaſi oſſeæ naturæ, quibus ad ſui defenſionem animalculum utitur, nam, quando prehenſum vel prehenditur, his cornuum dentibus acutis adeo firmiter arreptum digitum vellicat, non ſine ſummo dolore, non raro quoque cum cruentatione, dum cornua, forcipis inſtar, coëunt.

Pedes ſex habet, inter quos duo poſtremi reliquis quatuor majores & craſſiores exiſtunt, geniculatos, cum parvis digitis vel rectius hamulis incurvatis acutis, quibus, quando arbores, harumque aſcendit ramos, ſe ſuſpendit & adhamat.

Beſtiolæ duabus aliis tenuibus membranaceis inſtructæ, ob quas ad inſecta coleoptera ſeu vagini-pennia pertinent. Alæ totæ tegminibus ex brunno-nigris, duris, colorem cum ſcarabæis communem habentibus, tectæ, ſeu vagina cruſtacea dura & cornea reconditæ, unde hæc inſecta vagini-pennia a Theod. Gaza, quæ Ariſtoteles κολεόπτερα dixerat, appellantur; dicta animalcula, quando per aëra volant, quem volatum circa noctem æſtivo inſtituunt tempore, involucra hæc ſeu thecas aperiunt & expandunt. Hæ vaginæ in volatura, ſolis tantum alis motis, immotæ manent, ac ſolum apertæ & expanſæ tamdiu, quamdiu inſecta volitant, ſervantur; volatu abſoluto, alas membranaceas ſub thecis iterum recondunt; oſtendi ad oculum poteſt, quomodo hi ſcarabæi alas ſuas vaginis ſuis tegant, quod proprie non fit complicatione, ſed articulata quadam inflexione; articulos namque clariſſime in extremis alis advertas, ſuis muſculis movendos; quos ſi læſeris, vulnere depluit aliquid humidi, quod non fit in aliis reliquis, qua ſunt membranoſæ; hiſce volitantes alis ſtrepitum ac murmur in aëre edunt.

Proboſcidis ope alimentum ex quercubus exſugunt, hanc, notante Ioh. Swammerdamio in Hiſtor. Inſectorum gene-

generali pag. 106. Hœſnagelius nitidiſſime ac accuratiſſime ſimul figuris ſuis expreſſit.

Maſculi præterea ſunt cornuti, (non item, ut vulgo jactatur, fœmellæ; in omnibus animalium cornigerorum generibus nunquam non mares ſecundum naturam cornibus ornati inveniuntur, fœminæ tantum præter naturam & admodum raro iſtis gaudent, ſic cervi mares, fœminæ ordinarie non, cornua geſtant) duo cornua pulchra, ramoſa, dentata, a cervorum cornibus non, niſi ramorum pluralitate, diſtantia, quæ in apicibus furculas, forcipis inſtar, gerunt, quibus, ut lubet, non aliter, ac cancri cum ſuis chelis, res obvias apprehendere, mordaciter carpere & vellicare poſſunt, habent. Hæc cornua in fronte nata ſine geniculis ad voluntatem & beneplacitum in ſui defenſionem in ſyncipite movent. In beſtiolis majoribus annoſisque tam longa non raro, ac hominis digitus minimus, in minoribus & junioribus, ratione ætatis, breviora quoque deprehenduntur.

Fœminæ cum maribus in univerſum conveniunt, quod ad corporis ſtructuram, colorem & reliqua, exceptis ſaltim cornibus majoribus, quæ multo ſunt minora, nec ramoſa, nec dentata; interim tamen hiſce, licet brevioribus, quando iſta contrahunt, tam valide, ac nominati maſculi, digitum apprehenſum morſicatim tenent, nec non laceſſunt. Reliqua membra, artus, oculi in appoſitis figuris depicta cernuntur; ſequitur anatome ſcarabæi cornuti maris & fœmellæ D. Joh. de Muralto, e Miſcellan. Acad. N. C. Dec. 2. An. 3. obſ. 83. p. 201. „ Conſtat capite, pe-
„ ctore & alvo. Caput ſcutatum & quadrilaterum eſt, pro-
„ pemodum durum: utrinque poſt cornua ſuper oculos
„ proceſſus acutus: hinc linea protuberat ab uno proceſ-
„ ſuum horum ad alterum: ad occiput vero utrinque emi-
„ net apophyſis. Anterius caput ſcuto naſali finitur, juxta

 „ quod

„ quod inſignia duo cornua ſubrubra denticulata & che-
„ larum inſtar ſpinis tribus utrinque armata prodeunt: quæ
„ muſculo fortiſſimo fibroſo & albido reguntur, ut objecta
„ quævis firmiſſime prehendant. Oſculum foliaceum ſub
„ naſali ſcuto ſat amplum viſitur, e quo palleſcentes qua-
„ tuor plumæ, nimirum oblongæ & majores duæ ſuperio-
„ res, ac inferiores duæ minores exeunt, quæ linguam
„ conſtituunt. Myſtax utrinque duplex eſt, prope plumas
„ ſuperiores quidem promiſſior & quatuor articulis geni-
„ culatus: propter inferiores vero brevior, totidem ta-
„ men articulis præditus.

„ Maxilla inferior Hederæ folium refert: in col-
„ lo ſpeculum quadrilaterum ad meliorem cum pectore ar-
„ ticulationem anterius cernitur. Antennæ complicatæ ſex
„ nodulis in extremitate utrinque ſupra oculos conſpiciun-
„ tur. Ornamentum eorum plumeum plicatile eſt. Ocu-
„ li ſplendentes, rotundi, nigri, convexi, æquales. Ad
„ colli latera interius utrinque carnibus ſeu muſculis adſper-
„ gitur cruſta teſtacea oblonga, pro meliore articulatione.
„ Colli ſcutum quadratum ſupra & infra flavo & lanugi-
„ noſo margine cinctum eſt, e quo parte antica pedes u-
„ trinque bini prodeunt, quorum femora ad primam
„ cum collo articulationem flava adſperguntur lanugine.
„ Tibiæ poſterius ſpinoſæ ſunt; pedes extremi quatuor
„ nodulis & duplici hamo apiceque intermedio firmati.

„ Pectus eſt craſſum, ſuperius ſcutatum & durum
„ a pedum ordine ſecundo, uſque ad poſtremum ordinem
„ protenditur. Alvus hinc parte antica annulis quinque
„ ſulcatur, ſenſimque attenuatur. Dorſo poſterius inclu-
„ duntur alæ vaginis caſtanei coloris corticalibus & duris.
„ Hæ vaginæ ducunt originem a thoracis angulo. Alæ
„ complicatæ ſubſunt latæ fortioribus coſtis ſubrubris ex-
„ tenſæ. Alvini annuli novem poſterius ſub alis numeran-
„ tur.

In

„ In pectore utrinque præter oſſiculum quadrangulare Num. 2. delineatum multa caro fibroſa, aëreis vaſculis repleta latitat, per cujus medietatem œſophagus ad anum ſimplici canaliculo tranſcurrit, flaveſcentem ſe humorem continens: nutritur enim ſucco quercus, tiliæ & aliarum arborum Vitriolico. Penis intra quatuor foliola convolutus preſſa alvo apice ſuo prominet.

„ Fœmella tota corpore nigra velut piſcium cutis Chagrin dicta punctata cernitur. Caput rotundum magis eſt; cornicula duo acuta, fortiſſima, ramo triplici armata proſtant, ſed minima. Myſtace duplici ornatur, exteriore quidem longiore, tribus verticillis donato. Duplex lingua plumea flava ex ore emittitur. Antennæ ſex nodis verticillatæ ſunt; earum extremitas ornatur pluma quadrifolia plicatili. Oculi gagatis inſtar ſplendentes oblongi protuberant. Oſculum ſcuto ſupra infraque foliolo tegitur & obvallatur. Colli ſpeculum quoque adeſt. Notabilis eſt complicatio alarum ſub vaginam parte coſtarum tenuiore, quaſi per articulationem id factum; præterea coſta alæ maxima & extima, ut & major ſeu media crenas habet & ſulcata eſt. Sex pedibus inſtruitur, quorum primi ſub collo, inſculpto intra ejus ſcutum articulo tranſverſim oriuntur; alii poſt eos a pectoris ſcuto anteriore & ultimi a poſteriore ejusdem ſcuti parte procedunt. Os quadrangulare erectum in pectore carnem fibroſam affabre ſuffulcit. Hæc caro in filamenta coagmentata undique innumeris tracheis & veſiculis ſpiritalibus permiſcetur, quarum ope alvus ſub alis pulſat & ſcarabæus vitam habet; nullum enim cor obſervari potuit; at ovarium inſigne cum viginti circiter ovulis majuſculis, pallidis, glutinoſo humore turgentibus in alvo deliteſcebat. „

Hi

Hi ſcarabæi non unius ſunt generis, differunt quoque ratione magnitudinis, molis & cornuum. Nic. Lemery im vollſtändigen Material-Lexico pag. 281. huc ſcarabæos monocerotes, unicum tantum cornu incurvatum in fronte gerentes, refert, ſed non ſunt hujus generis. Dividuntur in cornutos & non cornutos. Georg. Abraham. Mercklein im hiſtor. medicin. Thier-Buch pag. 563. quatuor numerat ſpecies, nempe mares & fœminas, inſuper adhuc duas alias ſpecies, quæ vero omnes, quod ad colorem externum, ex brunno-rubeſcentes, caſtaneæ, obſcureque brunnæ obſervantur.

Melleo quodam humido, ex quercubus exſudante, nutriuntur, quem in finem proboſcis illis data, cujus ope victum ac alimentum exſugunt; amant tilias, in ſpecie autem quercus, quarum corticem durum proboſcide pungunt & terebrant, defluentem hinc ex dilaceratione ac læſione corticum ſuccum ſpumoſum, glutinoſum, viſcidum, acidiuſculum & Vitriolicum, alimenti loco, deguſtant, circa quem ſuccum menſibus æſtivis ſereniſque diebus plures non raro in eadem arbore ſedentes, terebrantes & lambentes offendimus.

Hæc inſecta in ſylvis vivunt, inque variis Europæ regionibus Menſe Majo, Jun. Jul. & Aug. totaque æſtate reperiuntur; in Ducatu Brunſuicenſi nec non in Sylva Hercynica a nobis crebro obſervata; præcipue autem magna iſtorum copia in Regni Neapolitani provincia Baſilcata, olim Lucania dicta, ex qua ſcarabæorum Lucanicorum cognomen acceperunt, exiſtere perhibetur.

Peculiarem habent vivacitatem, nam, quod ad caput licet detruncata, reliquum corpus cum artubus adhuc ſat diu, proprio a nobis inſtituto experimento, ſe movet & prorepit; imo caput adhuc diutius vivit & motiunculas agit, ſi aliter hic motus vita dicendus ſit, nec potius con-

ſtri-

ſtrictio vel motus ſpaſticus involuntarius nominandus, quem ultimum, præ priori nempe vita, certe credimus.

Propagatio horum inſectorum, ut omnium reliquorum animalium, per coitum fit. Nuptialis propago ex mare & fœmina eſt. Averſa coëunt & generantur, dum mas membrum ſui generis maſculinum in fœminæ pudendum, ad ovulorum fœcundationem, infert. Coitum longum & diu durantem exercent, ſcil. ut competens actioni fœcundanti ſpatium ſuperſit. Poſt factas nuptias coitumque peractum certo tempore ova minuta, ſolis calore deinceps excludenda, pro nova progenie a fœmellis ponuntur. De numero ovulorum nihil certi conſtat; de generatione autem ac coitu, quem nunquam recte obſervavi, vid. Ioh. Euſeb. Nierembergii Hiſtor. naturæ p. 95. Mares ſibi obviam facti ſunt duellatores, inter ſe cornibus, non aliter ac cervi quadrupedes æſtus Venerei tempore, ſtrenue dimicant & pugnant.

Circa autumnum, frigoris inclementia appropterante, non amplius viſuntur, ſed hybernacula ex naturali quodam inſtinctu componunt & quærunt. Hi architecti ex terra argillacea, dubio procul molli ac humida, oblongo-rotundas & oviſormes cameras ſeu fornices circa hyemem ſub quercubus in terra non admodum profunda artificioſe ſtruunt. Hæc hybernacula, quæ ſunt cava, circumcirca intus lævia quaſi ſtudio polita, ſcarabæi intrant atque in dorſo, pedibus in altum erectis, ad abdomen reductis ac complicatis, per totam brumam rigidam in iſtis ſine ulla alimonia, ſine vita, incluſi & quieti dormiunt. An quidam ex naturæ myſtis iſta domicilia ſubterranea jam delinearit, plane me latet, hinc iſta cum curioſis hoc loco communicare neceſſe duxi. Tempore verno, quo ſolis novi calor omnia reſuſcitat, denuo reviviſcunt, evigilantes ex ſomno plus quam ſemeſtri reſurgunt, exitumque ſibi iterum ex ſuis cu-

 bicu-

biculis proboſcide, pedibus & cornibus terebrantes quærunt atque parant. Domicilia argillacea circumcirca, inſtar ovorum, ſunt clauſa, in ſingulis nunquam non unicus tantum latet, dormitque vermis cornutus, & quidem conſtanter in dorſo recubat, mox maſculinus, mox fœmininus; quilibet cervus ſuum proprium habet cubile, nunquam duo ſimul in unico obſervati fuere hybernaculo. Architectura certe horum inſectorum, quæ tam nitidos ac artificioſos ſtruere ac componere poſſunt fornices ovales, non ſine peculiari admiratione videnda. Hyberna, in ære hic delineata, ſub annoſa quercu in Principatu Blanckenburgenſi 1737. effoſſa, mecumque Wolffenb. in muſeum allata. Laudati ſcarabæi, chymice examinati, inſtar reliquorum ſcarabæorum pluriumque aliorum inſectorum, multum ſalis volatilis urinoſi nec non oleum continent. In officinis quibusdam pharmaceuticis cornua & oleum venalia proſtant. Inſecta ad dolores, tremores ac nervorum contracturas ſedandas conquaſſata artubus impoſita, vel in unguento vel oleo appropriato cocta, commendantur; quartanas fugare, viva linteo involuta, loco amuleti, circa inſtantem horrorem febrilem de collo ſuſpenſa, perhibentur; ſed parva a me fides his tribuitur. Weckerus de ſecretis p.97. contra inquit: febris accenditur, ſi cornuti ſcarabæi in oleo decoquantur, & Theatrum ſympatheticum p. 11. affert modum, quomodo ſcarabæi cornuti ardentem febrem inducant. Artubus dolentibus ſæpius affricti, ſtrumas diſcutere, dolores podagricos ſolare, creduntur. In oleo cocti, oleo ſcorpionum mixti ad infantum epilepſiam, præſtantis inſtar ſecreti, it. parturientibus in partu difficili, commendantur. Ad arterias manuum pulſantes contra febres cum fructu affricantur ac illinuntur. Ex experientia propria nihil ex dictis affirmare vel negare poſſum.

Cornua amuletum in dentium dolore exiſtere, quando cum his gingiva dolens pungeretur, dolorem ceſſare, vulgus cre-

Digitized by Google

credit. In odontalgia pro dentiſcalpio valent & adhibentur, dentes tamdiu cum cornu apice ſcalpuntur, donec gingiva ſauciata ſanguinem purpureum plorat. Sciendum, hæc cornua ſpecifice dentium podagram nec tollere nec curare, ſed & alia ex ligno aliave materia confecta dentiſcalpia idem præſtare, inprimis in ſubjectis ſanguine plenis & quibus dolor ex laticis rubicundi abundantia ortus, nam ſic ſanguine in gingiva cornu quaſi ſcarificata ventilato, dolorem ceſſare neceſſum eſſe. Cornua de collo vel e cervicibus infantum ſuſpenſa, in variis horum affectibus geſtantur, præcipue urinam in lectum mingentium retinere & cohibere injuſte dicuntur.

Inter inſecta κολεοπτέρα ſeu vaginipennia petrifacta merito peculiari admiratione dignus cervus volans minor, in lapide fiſſili Oningenſi obvius Ioh. Iac. Scheuchzeri in piſcium querelis Tab. II. p. 15. quem in ſuo aſſervavit muſeo, hic fig. VI. appoſitus. Conf. quoque iſtius icon in Büttneri ruder. diluvii teſt. Tab. XXIII. fig. 2. p. 226. Scarabæi cornuti vero, quos D. Ioh. Barth. Adam. Beringer in lithographiæ Wirceburgenſis ſpecimine primo, quod & ſimul ultimum fuit, Tab. XVIII. figuris æneis expreſſit, ſunt ficti, arteque fraudulenta ab improbo & malitioſo quodam homine conſtructi, nunquam animalcula fuerunt, hinc nunquam quoque petrifactionem paſſi.

De his beſtiolis vid. plura apud P. Gab. Rzaczynski in hiſt. nat. Regni Poloniæ p. 263. Kundmannum in promptuar. rerum nat. p. 111. Acxtelmeierum lib. Ebenbild der Natur Lib. I. p. 252. c. fig. qui ſequens ingenioſum emblema ex hoc cervo fecit: Ein Schröter, mit dem Sinn-Spruch: *Vana gloria*, eitel Hochmuth. Ein hübſches Thierlein zum Vorwurff des Hochmuths. Der Urſprung iſt aus dem Miſt, wie bey den Roß-Keffern: wann er aber alt wird und fort wächſet, ſo ſtoſſen endlich Hörner aus ihm. (hoc falſum, non naſcitur in & ex fimo, nunquam fuit ſcarabæus

ſtercorarius, ſed eſt inſectum ſui generis; nec ſcarabæi ſtercorarii ſenes facti mutantur in cornutos, ſed absque cornibus vitæ curriculum in fimetis abſolvunt ac moriuntur.) Sobald die Hörner erwachſen ſind, und der Schröter ſich erheben kan, ſo fliegt er auf die Bäume, friſſet das Laub, und ſtreichet mit ſtarcken Brummen durch die Luft, fället aber auf einmahl herunter; darum können dieſen Kefſern mit Fug die unbedachten hochſinnige Menſchen verglichen werden, tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant: Der Schröter fällt aus der gröſten Erhöhung, und wann er am heftigſten eilet, urplötzlich aus der Luft, wird gefangen, und ihm werden die Hörner abgebrochen, da iſt dann die Hoffart hin; alſo bricht im Glücks-Stand, eile ſehr, den Hals. Der Schröter iſt ein ſchlecht, Saturniniſch, dummes, aus dem Koth entſprungenes Ungeziefer, welches von dem Koth ſich in die Höhe erhebet: alſo, wann ein Miſt-Finck von einer Magd zur Frauen wird, ſo iſt nichts hoffärtigers in der Welt, da wachſen ihr die Hörner des Hochmuths und des Geitzes, um jedermann vor den Kopf zuſtoſſen, u. von dem Seinigen zu treiben. Der Schröter im übrigen iſt von der Influentz Saturni.

Hiſce vale, *Vir maxime*, & me, ut cœpiſti, quanquam remotiorem & alio ſole calentem, porro ama, Scrib. Wolffenb. d 7. Jan. 1739.


Tuus ex animo
BRVCKMANNVS, D:

Fig. I. eſt cervus volans.
II. - - - Mercklini. Tab. 563.
III. - - - Muralti.
Num. 1. a. Cornua ſunt Scarabæi cornuti.
b. Myſtax major. c. Myſtax minor.
d. Antennæ plicatiles. e. Lingua plumea.
f. Pedes. g. Vaginæ alarum.
Num. 2. Os pectoris ſcarabæi cornuti.
3. Ala ſcarabæi cornuti.
IV. Cornua cervi volantis.
V. Hybernacula c.l. f. Scarabæo in dorſo recubante.
VI. Cervus volans petrifactus Scheuchzeri.

33 348208

Digitized by Google

Ad Ep: It: LXXVIII.



Digitized by Google